

† N E C R O L O G I A †

† R. P. Georgius Stebbing (1859-1937)

(Prov. Anglicae)



Hic eximius Instituti sodalis, qui tribus Capitulis generalibus interfuit, natus est in Pimlico, Londini suburbio, d. 8 Ian. 1859. Cum infans baptismum recepisset in secta acatholica (postea tamen ambo parentes ad veram fidem conversi sunt), puer sexennis in nostra Londonensi ecclesia (Clapham) a P. Langdale sub conditione rebaptizatus est. In catholica Universitate Kensington academicos gradus adeptus, a. 1881 civilis magistratus servitium aggressus est. Verum iam proximo anno, maioris perfectionis desiderio captus, Alfonсianae familiae nomen dedit. Vota nuncupavit in Bishop Eton d. 25 Mart. 1883, et d. 21 Dec. 1885 in domo studiorum Teignmouth, postea derelicta, ad sacerdotis dignitatem evectus est.

Studiis absolutis P. Stebbing, ingenio pollens ac solido spiritu religioso imbutus,

Limericum mittitur iuvenatus Lector. Post quatuor annos ibidem destinatur Sub-Director clarissimae confraternitatis virorum a Sacra Familia. Exactis aliis tribus annis supremus Congregationis Moderator huic religioso 34 annorum committit regimen domus Perth in Scotia sitae, confratres autem eum a. 1894 Romam mittunt Vocalem Capituli generalis.

Capitulo finito P. Stebbing non in Scotiam reddit, sed in Angliae australis collegio Teignmouth suscipit duplex officium magni momenti: Praefecti studentium et Lectoris theologiae moralis; ultimo autem huius collegii biennio (1898-1900) eius Rector est, simul lectoratum suum continuans. Et sicut est ultimus Rector in Teignmouth, ita primus in nova domo Monkwearmouth a. 1900 condita.

A. 1904 R̄nus P. Raus Patrem Stebbing nominavit universae Provinciae Anglicae Superiorum, qui hac ratione etiam Capitulo generali anni 1909 interfuit. Novus Superior Generalis R̄nus P. Murray ei primum gubernandum commisit collegium Clapham, et exacto triennio collegium Bishop's Stortford. A. 1915 P. Stebbing Roman vocatus est ad theologiam moralem in Collegio Beda docendam, et anno sequenti in studentatu nostro Perth

magisterium prosecutus est, usque ad a. 1920. Exinde usque ad vitae exitum, excepto triennio (1924–1927), quo fuit collegii Erdington Rector, Londini ad S. Mariae vixit, cuius ecclesiae historiam a. 1935 publici iuris fecit¹.

Etiam alia opera et opuscula ab ipso evulgata fere omnia sunt historica, ut historia S. Familiae Limericiensis (1893), historia universae Ecclesiae catholicae (1915, ed. 4^a 1932), brevis vita P. Eduardi Douglas (1917), historia ecclesiastica Angliae (1920), de hodierna condicione Ecclesiae catholicae in terris lingua Anglicā utentibus (1930), compendium historiae philosophiae (1932). Ascetam autem manifestat liber «Triginta methodi Missae assistendi» (1913).

Remanent commemorandi hi eventus e longa defuncti confratris vita: A. 1921 tertium Capitulo generali astitit; a. 1907 et a. 1923 Visitator extraordinarius fuit in Foederatis Americae Civitatibus. Ultimis duobus annis ob cordis debilitatem haud semel morientium sacramentis munitus est. Mors tandem venit Dominica 24 Octobris 1937; sine ullo agoniae indicio anima huius senis fere 79 annorum, meritis onusta, in pace Christi e corpore egressa est, immortalem coronam receptura.

Exsequiali Missae magna fidelium multitudo intererat, siquidem populus paroeciae nostrae summa veneratione et singulari affectu prosequebatur hunc religiosum, qui per multos annos ei salutis administer fuerat. Missam de Requie cantavit Pl. R. P. Provincialis Iacobus Hughes. Diaconus erat R. P. Ioannes Fitzgerald, ex-Provincialis Hiberniae; eum Provincialis hodiernus Pl. R. P. Hugo Kerr, ipse impeditus, ad funus misserat ad grati animi sensus manifestandos; quandoquidem usque ad a. 1898, quo anno Hibernica Provincia ab Anglicā separata est, P. Stebbing etiam Hibernis confratribus praeclera servitia praestiterat.

P. Georgius Stebbing fuit sacerdos iuxta cor Dei et religiosus iuxta cor S. Patris Alfonsi. Vitae eius columen erat oratio intense culta. Sed illud quoque Constitutionum praeceptum (n. 7) semper ad amussim servavit: «Cum summa vitae integritate litterarum studium coniungent. Summa igitur diligentia emitentur, ut omni scientiarum divinarum et humanarum genere politi ac praesertim in litteratura sacra instructi atque erudit sint». Assidua lectione scientiam vere encyclopaedicam sibi acquisierat et «pectus suum fecerat (id quod S. Hieronymus in amico suo Nepotiano laudat) bibliothecam Christi». Hinc etiam in nostra bibliographia locum honorificum occupat². Sed hic vir doctissimus simul erat admodum modestus et humilitatis amantissimus. Eo magis eum admirabantur et

¹ Cfr. *Analecta XV* (1936), 169–174.

² M. DE MEULEMEESTER, *Bibliographie II*, 407.

amabant non confratres modo, sed etiam exteri quam plurimi, qui semper eum inveniebant consiliarium sapientem ac benevolentiae plenum.

Tempore ultimae infirmitatis eadem virtutum exempla dedit quae antea, tolerans dolores suos, qui saepe erant acuti, heroica patientia, et sic ipse opere perficiebat, quod alios edocuerat.

R. I. P.